



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XV. Quia est maximæ post Deum gloriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

curere parat, ut ijs conspectis agant poenitentiam mortales. Luna est Deipara, sed ex qua præmoneris, qualis crastina dies futura. Undè putas vestes Esau *Gen. 27.* fragrant sicut odor agri pleni, quandò induit illis Jacobum Rebecca, nisi quia induit Rebecca? sint vestes etiam ipsius Esau, vestes tuæ, si illas induat tibi Rebecca, id est iuxta *Bernardin. serm. de B. Virg.* Maria, placebunt Deo, ut odor agri pleni. Hoedorum ipsorum carnes quando Rebecca coxit Isaac ita placuerunt, *Gen. 27.* ut propter illas daret benedictionem Jacobo. Ita Jonas in ventre ceti orans Jonæ 2, ubi illa dixit verba: *ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum* eijcitur in aridam, quia Templum Authore *S. Bonavent. in spec. Virg.* notat Deiparam.

Sed hoc ipsum fusiùs à *S. Jacobo*, itemque à *S. Marco in Liturgia* audiamus. Domina nostra sola, quæ sola nobis ex Deo Solatium, sola æstus in nobis existens Divinus Ros, cordis nostri exardescentis Guttæ Divinitus fluentes, tenebrosissimæ nostræ animæ splendidissima Lampas, dubitationis nostræ Directio, debilitatis nostræ Potentia, nuditatis nostræ Vestimentum, nostræ mendicitatis Divitiæ, insanabilium vulnerum nostrorum Medicina, lachrymarum nostrarum Ablatio, gemituum nostrorum Cessatio, calamitatum nostrarum Restauratio, vinculorum nostrorum Solutio, salutis nostræ Spes. *Andr. Hieros. orat. in Salut. Angelica.* Virgo hæc est Fermentum Sanctorum Dei, quo tota generis humani massa conspersa est, & ex uno corpore Christi, ceu panis factus, in unum coijt incredibilis concretio. Illam *Theod. Studita ode 5. Can. vocat* Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosam nebulam dissipavit. *Junoc. 3. serm. de Assumpt.* Luna nostra in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. *Anselmus alleg. coelesti 27.* Aula universalis propitiationis. *Buseo in Hymno.* Auctrix reformationis intelligibilis. *Bonavent. super Salve.* Virgo clemens poenitentibus, pia proficiscentibus, & dulcis diligentibus. *Theosterict. in Canon.* Janua poenitentiae. *Ambros. serm. 13.* Vellus de quo omnes vellit. *German. orat. de Present.* Lampas splendidissima animæ nostræ.

15. Quia est maximæ post DEum gloriæ.

Mena Græcorum 22. Jan. id explicant: Semper & ubique inculpatissimam Numinis Matrem ingentem cantandi materiam, Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demùm Coelibus esse datum, quidni tibi ô hominico? Quamvis imuta, & polluta aëria scia labia &c. ait innocentissimus *Cisimirus.* Cane cū *Damas.*
in

in *Dial. Angeli. Men. 25. Martij.* Salve Altitudo, ad cuius fastigium supremum cogitationes hominum ascendere nequeunt, salve profunditas cuius subtilem recessum nè quidem acies Angelica penetrat. *Idem ibidem 1. Jan.* quasi dicti daturus rationem: Ad te pro dignitate laudationis inops est lingua, etiamque animus excelsior mundo in laude tua vertiginem sentit, ô Deipara. Vel quia ut *S. Joseph Confess. ibid. 2. Jan. ode 5.* est Numinis excellentissima Sedes. Vel quia ut *Bonavent. spec. B. Virg. cap. 7.* Maria plena resultatione, sive expressione Divinæ gloriæ, et *paulo post.* Plena est tota Maria relucente in se plenissimè Divinâ gloriâ. Unde merito *Bernardin. tom. 1. Conc. 16. a. 6. cap. 4.* appellat Virginem Magnificentiam Dei, quia omnium Dei bonorum fruitione plus magnificat Dominum, quam omnis creatura alia simul sumpta. Imò *Arnold. tr. de laud. Mariæ.* Filij gloriæ cum Matre non tam communem iudico, quam eandem, ex quo dictum est: Dominus tecum. Majestatem ejus olim contemplatus *Vion. Areop. dixit.* Nisi ex ratione naturali, & fide quam à Paulo accepi, novissem aliud esse Deitatem præter hanc Virginem, aliquid aliud Deitatem esse non putâssem. Quia ut *S. Sabbas Men. 3. Jan. ode 3.* Nemo ut tu Domina inculpatus est æquè, nec præter te intamatus quisquam ô nulli subjecta nævo, quia nimirum sine macula concepta. Unde *S. Joseph Confess. Men. 3. Jan. ode 5.* gloriæ ejus appellat Divinam. Ex quo mirum quòd *Ecclesia Græca* illam agnoscat esse ipsam Pulchritudinem, in *Men. eam 4. Jan. ode 1. sic canit:* Agite illam castam, mente similiter castâ, ut verè beatam prædicemus, Pulchritudinem scilicet, quam Deus dilexit, *Jacobus ille coelestis* quamque à se electam velut tabernaculum sanctificationis incoluit: illam ipsam a) ut creatis omnibus dignitate majorem hymnorum melodîâ veneremur. Et *4. Jan. ode 9. S. Joseph Confess.* O inviolatissima Genitrix Dei, Angelorum, & hominum Decus. *S. Joan. Damascenus 11. Jan. ode 1.* ipsius Divinitatis splendoribus testatur adornatam. Jam illud quod dixit *Joseph Confess. 16. Jan. ode 4.* Cherubinis & Seraphinis sublimior, ampliorque cælo, & terrâ, ac denique omni creaturâ, cum, quæ spectatur, tum quæ oculis comprehendi non potest, supra omnem comparationis invidiâ, eminentior inventa es. Idem *S. Sabbas, 19. Jan. ode 9.* alijs verbis. Tu quæ creaturarum omnium opificem procreâsti, quidquid creatum est, supergressa es Divinitate gloriæ tuæ, sanctitate, & gratiâ, ac denique in omni genere virtutis, super omne quod est creatum, excelsis. *Idiot. lib. 6. contempl.* Sanctorum omnia privilegia habes in te congesta ô Virgo, nemo æqualis est tibi, nemo est major te, nisi Deus.

S. Anselm.

S. Anselm. de excellent. Virg. cap. 8. Immensitatem gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti, ð Virgo sensus deficit, lingua facit. *S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 3.* Tantum differt gloria Virginis, à gloria omnium beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cœli: & quodammodò sicut cætera luminaria illuminantur à sole, sic tota cœlestis curia à gloriosa Virgine lætificatur, & decoratur. *S. Bonav. spec. B. V. cap. 6.* Gloriosum Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius est in gloria, hoc Mariæ, hoc in Maria, hoc per Mariam. Ideoque ut *Bernardin.* dixerit: Summa gloria est, Mariæ, post Dominum te videre. Et *S. Ioan. Damasc. 27. Ian. ode 1.* eam sic salutât: Salve ð Domina decies millenis honorum vocabulis digna. Et Deus ipse tantoperè illâ delectatur: Revera ait *S. Bonav. spec. cap. 6.* in capite ejus Rex Regum diadema regni posuit, tam pretiabile, tam delectabile, tam mirabile quod hoc omni linguæ enarrabile, omni ingenio inscrutabile est. *S. Theophan. 9. Febr. ode 1.* Etiam cœlestis intellectus ad incomprehensum dignitatis tuæ mysterium pari subtilitate penetrandum, revera se hebetem sentit, ð ab omnibus certatim laudata. *Ecdes. Græca 24. Martij.* illam à dextris constituit suis Deus, tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, & excellenti pulchritudine præditam. Hortatur nos ad ejus laudes *S. Sabbas Men. 25. Junij* dum ait: Animatus ille Domini Thalamus, qui inter confusos spinarum acervos ad fulgentis lilij morem efflorescit, hic inquam animatus Domini Thalamus, dignus est omnibus, quibus per nos afficitur laudibus. *Angelus apud S. Brigittam in serm. Ang.* dum multa arcana Dei enunciat, ante mundi originem ita loquitur inter cætera. Mundo creato, adhuc unus minor mundus Virgo Maria coram Deo, cum omni venustate nondum creatus est, à quo major gloria Deo, & Angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quam de hoc majore mundo provenire debebat.

26. Quia mediante Virgine omnia facile à DEO
impetrantur.

Methodius Patravensis hom. de Simone ita alloquitur Virginem. Benedicte tu, prorsus benedicte, omnibusq; desiderabilis: in benedictionibus Domini nomen tuum, Divinâ gratiâ plenissimum: omnibus generationibus excelsior, omnibusque visibilibus, atque invisibilibus operibus longè præstantior declarata. *Sophron: qui floruit anno 400. serm. de Assumpt. B. Virg. qui inter opera S. Hieronymi habetur, sic ejus magnitudinem prædicat.* Bene gratiâ plena dicitur, quia cæteris per partes præ-
L 1 itatur,